



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

I. Petrus Faber primus Ignatij socius, eius dotes, qua via Ignatio adiunctus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

LIBER SECVNDVS
SYNOPSIS.

*Agit de sociorum delectu ab Ignatio habito ad formandam ex
iis Religiosam familiam: de illorum conditionibus, & modis qui-
bus illos Deo, ac sibi quaesivit. De primis eorundem votis, seu So-
cietatis Iesu rudimentis, in Templo B. Virginis ad Montem
Martyrum Lutetiae editis; & hic digreditur in Societatis vexa-
tiones, & patrocinium B. Virginis, cuius illi fiduciam iam in-
de tum locus, tum tempus quo orta est dederunt. De fecundis Igna-
tij eiusque sociorum per Italiam laboribus. De saeva admodum
tempestate Romae in illos excitata; postquam Ignatius, & So-
cietatis absoluit formam, & Paulus III. in Religiosos Ordine-
nes illam cooptavit, & quibus de causis Societas Iesu voca-
ta sit.*

I.
*Petrus Faber
primus Ig-
natij socius,
eius doctus,
qua via Ig-
natio adiun-
ctus.*



PRIMVS Ignatio Parisiis fuit cum Petro Fabro amicitiae sanctae nexus: erat is iuuenis Sabaudus, Villareti natus, Geneuensis Diocesis pago, malè ab re instructus ut qui ortu esset paupere ac vili. Quare admodum puer, paucis ouibus pascendis à Patre rus mittitur, haud sanè, Dei paulò meliori quam egestatis consilio, ut inde iam illum à vulgi prauitate, rustica munit solitudo, & primæuum illum simplicis innocentiae candorem, nulli (ut ferè, fit) aequalium ludi sinistro vapore inficerent. Imbuebatur interea à patre viro bono, & pio, prima salutis disciplina, quæ mox ita puero accedebat, ut possit eam aliis tradere, & verò, vsque nunc monstratur saxum paulò editius, ex quo vixdum sexennis vocatos agrestes fidei mysteria docebat, scitè quidem & probè, sed ea gratia ut bono numero ad eum vicina cogerentur, & prosequerentur munusculis pietatem pueri, & doctrinam, qui agrè idoneus ad loquendum, magistri iam munere fungeretur. Sed ea felicitate ingenij, mirabilis eminebat desiderium salutis alienæ, in ea ætate qua necdum sat caperet quid esset salus. Quibus indicis præmonebat Deus

Deus, longè aliò puerum quàm agendo pecori designatum, & congenitum illud iuuandi proximi. studium, quod tum quale poterat edebat, exiturum in eos animarum quæstus, quos cumulauit postea ingentes, vt olim puer, & pastor David ferarum expugnatione gregem incurfantium, Philistæorum interneconi præluserat. Neque illa tamen primorum rusticationum Petri ingenium stipauit, quamuis indoles cæteroqui viuax, cultura inopia syluescat, contra is sibi studendi copiam deesse impatientissimè ferebat. Quamobrem precando ac flendo denique euicit, vt rure amotus, Petro Veliardo præceptori in Rupensi Collegio traderetur, patre indignum rato, magnis rebus natum, in ministerio bubulci tabescere. Erat Veliardus & probata virtutis, & eximia charitatis, quem ad erudiendos pueros, non lucelli cupido, adegerat, sed aratula illius piè informanda, vt quæ vitam omnem iisdem fere moribus exigat quibus fuerit primitus imbuta; Magistrum itaque agebat non magis literarum, quàm Christianæ probitatis. Vndè inter alia in vsu habuit quæcumque interpretaretur, vel dictaret, virtutum exemplis, & præceptionibus distinguere; tantum verò aberat vt ex Historicis & Poëtis qui solent discipulis prælegi aliquid impurum, aut impium iis sineret inhalari, vt etiam (quod ipsemet Faber testatum reliquit) casti, piique ex lasciuis & impiis; Euangelici ex profanis in ore illius euaderent. Quantum tali magistro in virtute, ac literis, tam rara indoles profecerit, non est difficile assequi, nam ad virtutem quod attinet, annis tantum duobus sub illo positus, vixque duodennis, castimoniam voto se Deo obstrinxit, vitæque strictioris, etsi nondum callebat de forma illius statuere, aded iam tum puerili in corpore, placendi Deo studium ardebat, hos enim impetus non habet virtus nisi iam modum supergressa mediocritatis quo ad nobiliora subuecta sit. Iam quoad litteras, præter linguæ peritiam tum latinæ tum Græcæ, Rhetoricis etiam optimè tinctus est, nec potuit eo præceptore vltius progredi: verùm anhelanti ad superiores disciplinas paterni amoris obstabat teneritas, non ferens tam charum ab se filium diuelli; res præterea domi perangusta, sumptus ad studia necessarios non ferebat; neutrum tamen delectui obfuit quo Deus Fabrum multis ad salutem reuocandis prouinciis designarat, non ad familiæ vnus, aut pagi consolationem: huius enim cognato Georgio Fabro Chartusis Requiæ Priori vim tantam addidit, vt obtinuerit à patre de mittendo Parisios filio, vbi tunc erat præ tota Europa diuinarum flos, humanarumquæ doctrinarum. Ibi nactus in Philosophicis eundem, quem postea Ignatius Magistrum, Ioannem Pennam, charus in paucis illi fuit, ob integritatem morum, & candorem mirè amabilem, accedente præsertim soliditate præstantis ingenij, & laboris assiduitate quibus effectum est, vt parem inter condiscipulos haberet neminem. Ipse quin etiam præceptor vbi Aristoteli aliqua ex Græco lux duci poterat, Fabrum adhibebat, velut mentis illius interpretem optimum. Ita decursis artium spatiis, Doctoratu inauguratus est vnà cum Francisco Xauerio, & iam erat in Theologiæ limine, cum in Collegium S. Barbaræ

Philosophiæ operam daturus venit Ignatius, sub eodem Penna cursum de-
 nuo ineunte. Agebatûrque tunc annus supra sesquimillesimum trigessimus,
 quamvis enim legatur in Academia illius tabulis in laterculo Gallorum (in
 quem referebantur etiam Hispani, cum Nauarrâis, & Lusitanis) 1529.
 Martij 15. renunciatus Doctor: cum tamen anni exordium à Pascha tunc
 Parisiis duceretur, eius temporis vigesimus nonus in nostrum trigessimum
 cadit. Constatque idem ex eo pariter quod de duobus Ignatij sociis eodem
 libro habetur consignatum; Claudio Iaio, & Simone Roderico, quorum
 ille Martij 6. eoque Sabbato anni 1534. Hic mensis eiusdem quarto & deci-
 mo, sed anni 1535. die Martis, secunda ieiunij verni hebdomade, Magistri
 artium creati sunt, quod nostro computandi more respondere non potest,
 nisi eius sæculi annis proximè sequentibus trigesimo quinto, & trigesimo
 sexto, quorum priore, Martij sextus in Sabbatum incidit; altero quartus,
 & decimus in eum quem diximus diem Martis, negare hanc lucem anno-
 rum dispositioni non debui, nec rebus Ignatij dispositionem iis annis al-
 ligatam. Ingressus Parisios Februario mense Ignatius, anno 1528. initum
 Remigalibus anni subsequenti curriculum 1533. absoluit, & doctoratus
 insignia Martij 13. accepit; inde annos quatuor integros in Theologia
 posuit ad vsque annum 1537. vt postea enarrandum erit. Cursu igitur ar-
 tium in S. Barbaræ inchoato, qui tunc annos tres & sesqui tenebat, Petro
 Fabro à Penna Ignatius tanquam secundo Magistro commendatur, vt ei
 prælecta publicè, priuatim repeteret, inculcanda sibi eorum memoria, & fie-
 rent illius intelligentiæ proniora. Ex hac mutua consuetudine breui alte-
 rum alter primum intimè perspicere, dein, quod consequens, mirari, &
 amare, cum vtrique abundè inesset quod miraretur, & amaret in altero: nec
 posset Ignatius, ceptis suis nancisci Fabro aptiorem, nec Socium Faber
 Ignatio sibi gratiorem. Diu tamen vterque affectus pressere tacitos, licet Fa-
 brum Ignatius suis valdè consiliis vtilem; Faber Ignatium ad interioram
 sui curam, cui par solus non esset, pernecessarium iudicaret. Eoque demum
 increuit necessitas, vt semota iam obseruatione, apertè se totum Ignatio
 crederet. Pulsabatur enim imaginibus impuris eò molestius, quò erat inte-
 gritatis anantior, & mente Religiosior: vrebat hinc illum susceptæ voto
 castimonie ingens amor; fœda hinc animo simulachra motusque insulta-
 bant, quibus licet vehementer abhorrens, inquinari perpetuo videbatur, nec
 domabant corpus hostiles pœnæ quibus in se asperè sæuiebat; accessit quin
 imo aliud ab gula malum cuius proritabatur illecebris; auxitque vtramque mo-
 lestiâ quod leuare illam debuisset, constans videlicet aduersus vtramque ani-
 mus, ex quo illum inanis gloriæ, dum blandi titillarent motus, nihilo securior
 fiebat victoria, quàm pugna. Ad hæc denique, quod ferè bonarum est men-
 tium, verminatio scrupulorum tanta, vt silentio tandem impar, & patro-
 cinium quaesierit ab Ignatij precibus, & ab consilio medicinam, seque illi
 propterea integrè manciparit. Quòd autem scrupulosi exoticas planè alie-
 nâque vt plurimum curationes moliuntur, vbi vis morbi ultra modum in-
 sanit,

sanit, indicauit sibi in mentem venisse, de solitudine petenda, ybi nec occurreret cuiquam, nec quicquam occurreret, cuius obiectu impudica cogitationes mouerentur; herbis vero, & frigidâ tamdiu corpus illic emaciaretur, donec animi quietem in lucro ponere didicisset. Sed non erat tanto ad victoriam opus, cum ex Ignatio grauioribus præliis defuncto, posset artem vincendi tum securiorem, tum faciliorem condiscere; nam vt longinquam in heremum se altè quis penetret, se tamen ipse semper secum portat, nec transuersum vnguem ab hoste capitalissimo recedit; & docet expertus, præter alios complures. Hieronymus etiam deserta Palæstinae Romani Theatri clamoribus, & plausu; sonuisse feris peruios solis sylvarum recessus, puellarum choreis gestite visos ac strepere, nempe quas animo impressas illuc intulerant, qui dum iis se latebris conderent, putabant se illas omninò erasisse. Nec item extrema ieiunia sat certò lasciuiam expugnant, cum ceruim sit homines exhaustos ieiunijs qui agrè vitam pelle, & ossibus retinebant, carnis stimulis fuisse obnoxios: quare nouo tyroni, vsu edoctus Ignatius, aliud censuit plus posse conferre, cuius præsidio, fusisque pro illo ad Deum precibus, breui grata pace illum composuit. Præter quod partæ libertatis bona pars videtur demissioni tribuenda, latentia vulnera candidè retegenti. Siue est hæc merces abiicientis sese, remedij gratia, ad aperiendos alteri verecundos næuos; siue hostis ingenium, refugientis pugnam, cum duobus deinceps ineundam. Spectabat tamen grandius aliquid in curando Fabro Ignatius, sublimiorem nempe gradum absolutæ virtutis, cuius illum optabat desiderio incendi, vt eum operis quod meditabatur, postea socium haberet. In illa itaque tristia libidinis; gulæ, & gloriolæ tentamenta, examen illi præscripsit singulare, cuius triplici quotidie vsu, fibras sigillatim reuelleret affectionum cognatarum, ex quibus tot illa pullularent germina vitulenta: quod si ab Dæmone proficiscerentur, etiam in solo naturæ ab iis alienæ, spuria semina spargente, interiores distaut motus; quibus clam omnibus procul periculo vanitatis aduersus illum tueretur sese: ab scrupulis denique, suo enim sumptu & quidem graui, horum euaserat optimus medicus; ita paucis diebus hominem extricauit, vt vitæ totius hexomologesim illi suaderet, quod iis non potest sat tutò committi, quorum facillè solet conscientiam, miscere, & quietem susdèque vertere. In quo tamen id quoque studebat Ignatius, vt de se Faber in posterum aliquid certi statueret ad suscipienda cceptis prioribus maiora. Quam in rem mirum quantum inuet, vitæ antea, probæ, malæ, decursus omnis distinctè simul oculis obiectus: valuit etiam ad eum fortius Deo adstringendum frequens inter illos de diuinis sermo, quo tam iucundè vtérque pascabatur vt nisi de cælo, ac Deo nihil nosse præterea viderentur; còque res venit vt inhibenda necessariò fuerit. Vbi enim sub noctem confederant ad Philosophica eius diei retractanda, seu ex re ipsa quæ repeti deberet aditus pateret ad superiora; siue alter ipsorum (quod iis frequens erat, animi affectum in piam aliquam

laxaret vocem, mox ut stipulae ex scintilla, sic flammam illicò rapiebant; aliúsque ex alio de Deo, & cœlestibus sermo, bonam noctis partem velut momentum absuñebat; ut qui rebus mirè placentibus occupantur, sic in iis tori sunt, ut ne sui quidem nedum aliorum meminerint. At hæc literarium profectum cum magnoperè retardarent quem ex mutuo de Philosophia congressu quærebat Ignatius, conuenit inter illos, ne quid de Deo interiiceretur horis repetitioni attributis; pactumque deinceps bona fide vtrinque seruatum. Sic in expoliendo sensim Fabro, biennium insumpsit Ignatius, cui iam altiorum capaci, die quadam non alia quàm amicitia vnus fiducia; fixum sibi esse aperuit in Palæstinam nauigare, suamque illic operam & vitam infidelibus conuertendis impendere; qui Deum ex animo diligeret, nihil posse melius Deo dare; nihil posse à Deo maius accipere quem Deus haberet charissimum. Nullam excelsiorem Apostolicam vitam; mortem nullam Martyrio pretiosorem. Ad hæc Faber, sexcentis hætenus in deligenda vitæ ratione, anxietatem statibus agitatus, quasi Deo tunc illas dissipante, rapi se penitus in idem consilium pensit, arctèque Ignatium complexus, illi se socium instituti dedit, fuitque hic primus Ignatij filius, patri non indecor, ut eo filio dignus quoque pater Ignatius; hunc igitur nactus meliorem terreno animi sui patrem, huic putauit relicto alio inhærendum. Quare in patriam matre iam mortuam reuersus, substitit illic menses octo, multorum potius interiori solatio, quàm ut suis gratificaretur. Inde post patris adprecationem, & veniam mancipandi se diuino obsequio, Parisios reperit, vnum se ex paterno lare, & sæculi rebus, tam nudum secum ferens, ut ab Ignatio alendus fuerit piorum liberalitate: atque hic mundanis iam vinculis & curis vilibus solutum, maturum ad Exercitia capessenda Ignatius censuit, ut eorum vi tota, primos inuaderet aditus virtutis illius excellentis, cuius erat mirificè capax. Sed nouo planè ad stuporem modo ea Exercitia transiit: nam ex Collegio S. Barbaræ vbi contubernalis Ignatio & Xauerio erat, in pauperem casam via Iacobæ secessit. Hiems erat tam fera ut conglaciens Sequana quæ vrbem diuidit, onustos currus tutò transmitteret. Faber cœli aspectum conferre sibi ad benè orandum sentiens, prodibat angustam in cortem gelu ac niuibus constratam, & sub aperti cœli rigidissimo algore malè ut erat à vestibus munitas, horas aliquot nocturnas traducebat, quodque aliis foret intolerabile, precanti nihil oberat, cum applicatâ vix ad orandum mente, igne interius maiori, quàm exterius frigore, vreretur. Vndè ratum habebat ne scintillam quidem dum illic hæreret admittere, & carbone ad focum antea parato, utebatur pro lecto, in eum vno tectus indusio se iactans, ad cruciatum potius quàm ad somnum; cui tormento præterea adiunxit: sex totis diebus continuatum ieiunium, solo diuinæ Eucharistiæ pabulo contentus, producturus quoque in ediam quamdiu illi sufficeret natura, si non Ignatius vetuisset, nam ex vultus deflui pallore, labrisque liuentibus argumentatus quod res erat, cognitâque porrigendî ieiunij voluntate,

luntate, post consultum precibus Deum, iussit eodem die cibo, & foco recreari: fuit tamen hoc Fabro suum huius ieiunij pretium, quod extincta sit prorsus illa fames quam illi seu Dæmon, siue natura incendebat ægrè ieiunij patientem. Expleto penso Exercitiorum, initiari Sacerdotio optavit, cuius primos in iis fecerat apparatus; incredibili affluxu deliciarum cœlestium consecratus, seque ipsum Deo in Sacerdotem, ac si dignaretur in victimam deuouens, sacrorum primitias obtulit die S. Mariæ Magdalena Festo, quam præcipuo venerabatur cultu, inde secutus est in studio Theologiæ vtriusque haud segnus mysticæ, quàm scholasticæ pergere.

Francisci Xauerij fuit fors altera; nisi fortè verius Ignatij dixerim, qui nactus in eo pectus capax ingentis illius animi quem ipse alebat, sancta illius institutione id assecutus, est vt discipulum haberet Apostolum. Quod profectò semper agnouit Xauerius; nam vsque ab Indiis magnos illos quibus agebatur in labores, & quæuis ardua spiritus, profitebatur sibi ab Ignatio inditos, cum quo ipse tanquam superiore vi, conatus, & operam iungeret. Nec verò minus fortunatus, vel vno Xauerij quam multorum lucro foret Ignatius, vt neque infœlix egestas illa est quæ suis omnibus pretiosam emerit margaritam, cum lucro immensum quæstioso, iacturas mille, sed exiles, & macras sarcuerit. Felicior planè vna de Paulo victoria Stephanus, quam longinquis & sparsis conuersionibus plurimorum; is enim Christi tunc efferus infectator, post orbis integri piscator, vt eum Chrysostronus nominat, & chori Magister domesticas iuxta, & barbaras voces omnium gentium in concentum vnius Christianæ fidei collegit. Sauerium, siue Xauerium, vt indigenæ efferunt (ex quo Francisco Xauerio cognomen) in Nauarra Castellum, diei itinere Pampelona distat, ad quam Ignatius vulnus accepit salutare, quanquam autem Ioannes Xauerij parens gente Giassia ortus esset, cognomentum matris penes filios mansit, Mariæ scilicet, Azpilquetæ & Xauerij Dominæ, ne clarissimæ, & antiquissimæ inter Nauarra familias obliteraretur memoria. Huic meritorum insignium à Rege Theobaldo Castellum Xauerij præmium datum est, cœpitque tunc dici Xaueria, cum prius Asnarezia vocaretur, & trecentis plus annis Castellum id tenuit. Cœterum eodem quo & Ignatius anno 1497. In lucem hanc venit Xauerius, fratrum natu postremus, sed eo felicior, quod eos ambitus, hunc sibi mundi contemptus abstulit. Ad hunc tanto ante attemperauerat illum Deus ingenita puero indole multum à fratribus diuersa. Capiebantur illi armis, hic literis paterni hæres & æmulus genij: fuit enim consultissimus Iuris pater, & Consilij Regij auditor, atque apud Ioannem Tertium Nauarra Regem magna gratia floruit. Sub annum 1527. Lutetiam profectus Xauerius, tertio post studiorum anno appellatus est artium Magister, Martij quinto & decimo; mox triennio & sesqui, Philosophiam docuit singulari laude præstantis ingenij. Studiorum sodalem habuit, vt ante indicani, etiam aliquamdiu & contubernalem in S. Barbaræ Petrum Fabrum; fuitque mira res, & ortu nobilem, & pares ortui

II.

Xauerius
primū Ignatij
contemptor, post eius
socius, quo pacto
Deo, illi
que adiun-
ctus, quàm
dixit ne id
ficeret à De-
mone pugna-
tum.